

B. 3.

DECAS  
THESIMUM THEOLOGICARUM  
*DE*  
**B E L L O**

*Quas*  
 $\Sigma\ddot{\nu}\tau\Theta\epsilon\tilde{\omega}$   
ET  
*P R A E S I D E*  
**JOH. CHRISTOPHORO PFAFFIO,**  
Theol. D. & P. P. O.

*Contra Commilitones propugnabunt*

*Respondentes*

M. JOHANN DAVID GROZ, Stuttgard.

M. ALBERT. FRIDER. HARRSCH, Amlishaga - Francus.  
SS. Theol. Stud. & Serenis. Stip.

*Ad. d. Sept. MDCCXIV.*

---

TUBINGÆ,  
Recusa Literis JOSEPHI SIGMUNDI 1715.

a. CXXXVIII. 76.

III. diss. A  
71



Etiam in primis annis regni eiusdem imperii, quod non solum in Europa, sed etiam in Asia, Africa, America, et Oceania, etiam in primis annis regni eiusdem imperii, quod non solum in Europa, sed etiam in Asia, Africa, America, et Oceania,

## Q. D. B. V.



Ulcissima Charitinia nostra sedes Belli fuit novissimi, in quo una omnium vox usque fuit atque votum : Da pacem , Domine , in diebus nostris ; quademum exorata ac obtenta Bellum tamen manet alta mente repostum. In pace enim & meminisse malorum & de Bello cogitare interest. Unde ad velitationem publicam has conscribi Theses placuit. Noster sit clypeus , quo sine nulla salus !

A

THE-

## Militare licet &amp; Christianis.

De Bello loquimur, quod Magistratus non temere nec ex ambitione, merave avaritia ad fines imperij ampliandos, sed necessario, & justa de causa, cum pia intentione, debitoque modo suscipit. Tale enim Bellum

1. Congruit Naturæ principiis. *Omnis natura vult esse conservatrix sui, ut & salva sit & in genere conservetur suo;* inquit Cicero lib. IV. d. Fin. & pro Milone: *Hoc & ratio doctissimis & necessitas barbaris & mos gentilibus, & feris natura ipsa prescripsit, ut omnem semper vim, quaunque ope possint, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent.* Jam ut Evangelium usu solis, aeris, aquæ non interdit, ita nec jus naturæ abolet, quo ductus Abram ante latam legem armavit vernas. Gen. XIV, 14. Quis vero dicat, Patrem credentium grassatum fuisse contra jus Naturæ?

2. Convenit cum jure Dei voluntario. Ipse enim bella præcepit, Num. XXXI. 2. Jos. I. 6. Jud. VI. 14. I. Sam. XV. 3. XXX. 8. docuit, Ps. CXLIV. 1. gessit, Ps. XVIII. 30, Ex. XV. 3. & Heroibus Jud. III. 9. 10. VI. 34. XI. 29. XV. 14. & legibus bellicis instruxit, Num. X. 9. XXXI. 17. 18. 27. Deut. XX. 3. 10-- Jof. VIII. 2. II. Sam. V. 23. 24. tandemque insignibus coronavit viatoriis, Gen. XIV. 20. Ex. XVII. 11. Ps. CXLIV. 10. Prov. XXI. 31. Jes. XLI. 2. pœnæ loco Rempl. viris orbare fortibus & bellicosis Jes. III. 1. 2. ipsique facere bellum minatus.

3. Competit Magistratus officio. Nec enim Deus bella ad V. T. oeconomiam restrinxit, nec prohibuit in Novo, sed & in hoc Magistratum gladio armavit vindice, Rom.

Rom. XIII. 4. At vero gladius & bellicus est gladius vindex. E.

4. Johannes B. quid ad declinandam Dei iram faciendum serio a militibus interrogatus eos non jussit abire militia, (quod facere omnino debuisset, si ea Deo esset exosa.) sed concussionibus abstinere jussit stipendiis militaribus contentos. Luc. III. 14. Ex quo loco gemella elicit & Augustinus : *Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis potentibus in Evangelio diceretur, ut abjicerent arma, seque militiae omnino subtraherent.* *Dictum autem est eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum, quibus proprium Stipendium sufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit;* Epist. V. ad Marcellin. & Lib. XXII. contr. Faust. c. 74. *Nisi belle a bonis suscipi possent, Johannes, cum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? responderet eis, arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite neminem.* Sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas sed ministros legis & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis : *Neminem concusseritis.* T. II. f. m. 24. VI. f. m. 432.

5. Duorum Centurionum fidem Matthæus comemorat c. VIII. & XXVII. 54. Pietatem Cornelii depinxit Lucas Act. X. 2: Milites Romani adeo nullius corrupti-  
nis aut perfidiæ erant suspecti, ut ipse Paulus in eorum acquieverit præsidio. Act. XXIII. 10. 17. 31. Gordonii Cæsariensis Centurionis constantiam atque Martyrium solenni laudavit sermone Basilius T. I. f. m. 401. Quam pia denique & devota sub M. A. Antonino Militum fue-  
rit Christianorum cohors, contestantur & tonitrua &

fulmina & largissimi imbræ , queis prece sua cœlitus obtentis totum illa servavit Romanorum exercitum , apud Eusebium lib. V. Hist. Eccl. c. 5. f. m. 169. vid. & *Danhæn. Christei*. p. 678. & *H. Witsii Diatribe d. Legione fulminatrice* p. 429.

6. Armis servabatur Ecclesia Neh. IV. 14. & administrabatur justitia. Judic. XX. 18.

7. Accedunt S. Patrūm quoque suffragia. *Noli existimare* , scribit Augustinus Bonifacio ep. ccv ; neminem Deo placere posse , qui armis bellicis militat , in his erat sanguis David , cui Dominus tam magnum perhibuit testimonium , qui inquit : *Benedictus Deus meus , qui docet manus meas ad prælium , in his erant illius temporis plurimi justi. In his etiam erat ille Centurio , de quo inquit Christus : In Israel non inveniantam fidem.* T. II. f. 837. Nec non Bernhardus serm. ad Milites c. 3. At vero milites secure præliantr prælia Domini sui nequaquam metuentes aut de hostium cæde paccatum aut de sua nece periculum , quandoquidem mors pro Christo vel ferenda vel inferenda & nihil habeat criminis & plurimum glorie mereatur. f. m. 831.

8. Ad hanc lucem evigilavit ipse demum Slichtingius a Bucowiz in Annotationibus suis in illorum transgressus sententiam , qui Patriam defendere & in ejus defensione etiam , si Deus velit , occubere , rem sacram & Christiano dignam existimant. vid. *Respons. Wolzogenii* f. 114.

9. Ficulnea sunt reliquorum Socinianorum , ut & Fanaticorum pridemque Manichæorum adversus Jus Belli arma. Si enim Bellum in N. T. ideo gerendum non est , quod sanguis humanus non est effundendus , nec malo resistendum , sed potius & inimicus diligendus Matth. V.

39. 43. uti colligit Przpcovius in Cog. S. f. 691. Deus bellum nec in V. T. permisisset, in quo non minus & vindictam privatam Leu. XIX. 18. Deut. XXXII. 35. & temerariam sanguinis humani profusionem Gen. XI. 6. prohibuerat, injuncta juxtim & inimici dilectione. Exod. XXIII. 4. Prov. XXIV. 17. XXV. 21. Quin imo idem repetens Christus : Qui sumserit gladium , gladio peribit. Matth. XXVI. 52. ; arma potius commendat, quam distinet , latrones enim ac homicidæ præsertim & communes excipiendi sunt gladio certe non privati , alias dato uno homicidio infinita alia sequi deberent , sed gladio illo , quem Magistratus gerit non frustra , Ex. XXI. 12. Rom. XIII. 4. Ap. XII. 10. Nec valet consequentia : Arma Apostolorum non erant carnalia. 2. Cor. X. 4. E. nec arma Magistratus Politici se aliter habent. Multo minus sequitur : Regnum Christi in N. T. non est perficiendum armis , uti regnum Israeliticarum in V. T. vi & armis , fuerat fundatum. Jes. II. 4. XI. 6. 8. 9. Zach. IX. 10. E. nec ob alias causas arripere arma Magistrati Politico in N. Testamento est integrum. Zizania quidem hæresium nondum eradicanda sunt vi & ferro, Matth. XIII. 29. Hostibus tamen publicis est resistendum. Deinde Belli Duces expiabant animas suas non ob arma quæ ceperant , sed quod pepercérant fœminis. Num. XXXI. 15. 52. Denique Davidi ædificare non licuit templum , ob sanguinem temere fusum , e.g. Uriæ, Gesuritarum, Amalekitarum ac Ammonitarum , 1. Sam. XXVII. 9. II. Sam. XII. 9. 31. Templum vero Hierosolymitanum condendum erat a Typo principis pacis , quod nec in virum bellicosum , qualis David , cadebat , nec in N. T. bellis derogat justis , *vide etiam si lubet B. Osiandri Theol. Cas. Part. V. p. 555.*

## THEISIS II.

Bellum gerere jure non tantum Ecclesiastico , uti Molinæ videtur , sed divino quoque prohibitum est Clericis , solique Magistratui competit Politico. Nam

1. Deus Magistratum gladio armavit vindice , qualis maxime bellicus. Rom. XIII. 4. Petro autem injunxit , ut gladium recondere in locum suum Matth. XXVI. 52. nec enim arma militiæ nostræ sunt carnalia. 2. Cor. X. 4.

2. Episcopum esse decet nec ἀλλοτε εὐπίσκοπος , I. Petr. IV. 15 nec ἀλλήκτης , sed ἀμάχος I. Tim. III. 3. Nec qui militat , præsertim singulariter Deo , negotiis se implicat seculi , 2. Tim. II. 3. 4.

3. Nec Christus nec Apostoli egerunt milites , si regnum meum esset de hoc mundo , inquit Christus , Joh. XVIII. 36. Ministri mei utique decertarent , ne traderer Judæis. Hinc ille apud Wolfium : *Quis non in Apostolicis viris (quales esse volunt) studia hæc bellicare reprehenderet , quos siti sanguinis fervore omnino præsentia in negotio religionis non convenit , cum & Christus ipse Episcoporum omnium , sed verorum non personatorum , antesignanus neminem unquam vel gladio vel igne occiderit , sed simpliciter fateatur , se venisse non ut perdat animas , sed servet.* Tom. II. Memor. f. m. 389.

4. Munia Ecclesiasticorum , prædicare , baptizare , orare , solari , &c. maxime abhorrent ab armis ac truculentia. Nec manus , quæ Christi propinant sanguinem , cruce

re

re polluere humano decet. confer. & Luc. XXII. 25.  
 Hinc Richardus Angliæ Rex Philippi Episcopi Belluacensis, quem cum belligerantem cepisset, loricam reposcenti Pontifici Cœlestino mittens hæc addidit verba: Vide, beatissime Pater, num hæc sit tunica filii tui. *Videatur & σιδυροξυλον Ecclesiasticum Episcopus Miles Ziegleri, & Heideggeri d. Episcopis Bellatoribus Oratio.*

5. *Sacerdotis est populum monere, non movere arma, non clypeos usurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere nec jacula mittere, quia gladium mentis non martis tenet. Ipsius enim vita in contemplatione Spiritus non in actione militari consistit; inquit Chrysost. hom. IV. d. verb. Jes. T. I. f. 536. & Ambros. in Orat. in Auxent: Adversus arma, milites Gothos quoque lachrymæ meæ arma sunt, talia enim sunt munimenta sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere. T. III. f. m. 123.*

6. Militum e choro Christiq; ovili pro silientium Stipendium mors est plerumque turpissima e. g. Zwinglii, D. Chamieri, Gerholdi, &c.

7. Decret. Distinct. L. c. 5. Clericum: *Cum discreti sunt milites seculi a militibus Ecclesiae, non convenit militibus Ecclesiae militare seculo, nec quod ad effusionem sanguinis necesse sit, pervenire. Plura Juris Canonici suffragia. vid. ad Dogmat. Protest. p. 77.*

8. Thomas Sec. Quæst. XL. Artic. II. Conclus. *Bellica exercitia maximas inquietudines habent. Unde multum impediunt a contemplatione divinorum & laude Dei & oratione pro populo. Omnes Clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub sacramento representatur passio Christi. Et ideo non competit eis occidere vei effundere*

dere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo. fol. m. 89.

9. Baronius sub Ann. DCCLXXXVIII. *Videri potuit*, inquit, *plane monstrosum*, quod tam *Episcopi quam Abbates armati ad bella procederent*, in hostes irruerint, cæderent ipsos & ab ipsis cæderentur tanquam *sacrorum canonum violtores*, & munieris pastoralis & nominis desertores detestandi num. 2.

10. Adam a Conzen quidem excipit: *Quasi vero nobis pro legitimis nostris aris & templis pugnare non liceat, cum in Domini familia duo gladii fuerint.* lib. X. pol. c. I. p. 739. Verum enim vero Christus non emendos gladios sed instans periculum significare voluit. *Juxta ipsum Cornelium a Lapide in Luc. f. m. 224.*

### THESIS III.

In Militia Christiana partes Pastoris Castrensis magno sunt usui.

Nam 1. Prælusit illi olim Unctus Belli, cuius præcipuum munus erat sermone Patrio animum addere militibus Deut. XX. 3. 8. *Plura de Sacerdote illo tradunt Carpzov. inc. V. Theor. 18. d. Fure Reg. Schikhardi p. 368. Wagenseil. in Cap. VIII. Mischua p. 842. Jos. d. Voisin. in Pug. Fid. Raym. Mart. Part. III. Dist. III. c. 11. f. m. 799. Buxtorf. Lex. Talm. f. 1267. Cuneus d. Repl. Hebr. lib. II. c. 20. p. 347. & Episc. lib. III. Instit. f. 106. 107.*

2. Eodem fine præconem quoque castrensem adesse oportet militibus, ut animus ipsis crescat ac fiducia, II. Par. XIII. 12. 11, Macc. VIII. 18. 19. 20.

3. Præ-

3. Præco bellicus prædicare debet verbum divinum,  
2. Macc. VIII. 23. & I. Macc. 2.v. 62.

4. Administrare sacramenta. Carolomannus Francorum Dux Anno Christi DCCII. edidit edictum hujus inter alia tenoris: *Nemo sacris initiatus divinoque ministerio mancipatus arma omnino ferat, aut in bellum aut in hostem perget: Unus aut ad summum duo Episcopi delecti suffragio cum suis sacerdotibus Principem comitentur ad bella, SACRIFICANDI comprecandique causâ Eccl. apud Joh. Aventinum Annal. Bojorum lib. III. fol. m. 293.*

5. Preces agere publicas, quæ potiora Ecclesiæ arma.  
I. Macc. IV. 10. 30. VII. 40. 41. 42. II. Macc. XIII. 10. 11. XIV. 15. XV. 21. 22. 23. Sic & cum Christianis Principibus Militibusque & Episcopi & alii viri Ecclesiastici olim in castra proficiscebantur. e. gr. de Episcopis, qui vixerunt sub Constantino, refert Eusebius de vita Constantini lib. IV. c. 26. & de Germano, Altissiodor: Episcopo, Paulus Diaconus, lib. XV. similiaque exempla passim extant in Gallicâ Historiâ, quæ videri possunt apud R. Gaquinum & P. Æmilium, tempe ut non tam manu quam precibus adversus Christiani nominis hostes pugnarent.

6. Dehortari à peccatis II. Macc. XII. 42. Deut. XXIII. v. 14.

7. In publica scandalata decenti invehi zelo. Num. XXXI. 15.

8. Cum ita munia Pastoris Castrensis spiritualia sint, arma ipsum ferrea minimè decent. vid. Scottan. Bibliothec. Part. II. f. 930.

## THEISIS IV.

Principi orthodoxo per se licet in justa belli defensivi causa , casuve summæ necessitatis alio ab adversæ quoque religionis hominibus petere auxilium , hoc nisi majus minetur periculum.

Nam 1. conservationem sui ipsa lex naturæ imperat. *Cum nobis Lex naturæ, inquit van der Mylen, facultatem tribuat quibuscunque mediis nosmet ipsos in securitatem asserere: ergo nec illicitum, si veremur, ne nobis noceat vicinus, vel alius cuius fortasse suspicamur nimiam potentiam & paratum ad nocendum animum; cum eo fœdus inire, ut ab omni metu vacui tranquilliter vitam traducere liceat.*

2. Sicut Evangelium non abolet politias, inquit B. Zentgrav, ita nihil impedit, quo minus in causa belli justa orthodoxus heterodoxo adversus orthodoxum opem ferat. Quemadmodum omnes homines citra religionis intuitum, communijuris naturalis vinculo sub diuino copulantur imperio ad universalem quandam societatem & civitatem, cuius Rector Deus fit, constituendam, ceu alibi docetur: Ita religio per se non impedit, quo minus, uti alias homo ab homine auxilia humana petere potest, ad sua afferenda jura contra vim injustam, ita & in bello idem liceat. Quo minus enim orthodoxi delicta ab heterodoxo, qui adversus illum hoc nomine ius habet, vindicentur, orthodoxia non impedit, cum quo hoc nomine & orthodoxo, si res ad eundem etiam pertinet, se conjungere licet. in Summa Jur. Div. p. 733.

3. Si

3. Si fas est Christianos opem ferre & infidelibus injuste oppressis, ex. gr. Turcis vel Judæis si in vitæ periculum vocentur a Christiano, cum justitiam semper vindicare liceat, maxime vero juvet, exinde occasio & propagandi inter infideles Christianismi commodissima aperiri queat, nefas non erit in pari casu opem infideliū & implorare, *vid. Dorsch. Theol. Moral. p. 352.*

4. Non est iniquum, inquit B. Hülsemann. si *Magistratus orthodoxus heterodoxo opituletur in causa belli justa adversus orthodoxum hostem*, ut e. gr. in vindicatione rei injuste ablatæ &c. Subditi autem etiam tenentur militare sub *Magistratu heterodoxo justam belligandi causam habente adversus orthodoxum*. Quia delicta publica jure naturæ & gentium etiam in orthodoxis puniri debent. *Ez. XXIII. 45. Iudic. XVI. Brev. cap. XX. §. 19. p. 994.*

5. Si in bello bestiis uti licet, si ad se terrasque suas juste defendendum milites legere licet & infideles, fas erit in justa causa inque tutamen sui necessarium Regem adsciscere vel principem quoque infidelem, quo pacto Macabæi fœdera iniisse videntur, cum Romanis atque Spartanis, *I. Maccab. VIII. 20. XII. 1. & seq. X. 18. 25. II. Macc. XI. 34.* quæ exempla ceu a Deo nullibi reprehensa Calovius pro hac thesi ipse adduxit in Bibl. illustr. *T. I. f. 433.* utut mox mutata sententia improbet. *T. II. f. 212.*

6. David in capitali Saulis persecutione confugit ad opem Regis Philistæi. *I. Sam. XXVII. 2. 3.* Quod quidem factum Brentio ac S. Schmidio haud adeo probatur, Nostro tamen B. Osiandro videtur in contrarium opponi posse, *Davidem non peccasse, tum quia antea reprobens non est, cum fugeret ad Moabitas, nec enim illi minus erant Idololatræ quam Palæstini.* Tum quia etiam alii vi ac necessitate

tate coacti opem ab ethniciis implorarunt & adeos configiendo inopiae suae aut etiam incolumentati prospexerunt. Potest exemplo Abrahami, Jacobi, Abimelechi, Eliæ, Elisæi, Jeremiæ immo ipsius Christi ostendi. Tum quia David tempore hostem habuit potentissimum & tribules ingratos & infidos, nec semper ei versandum erat in periculo. Tum quia non tantum sibi prospicere debuit, sed etiam suis familiæ puta, viris, quos secum habebat, militibus tot persecutionem numero fractis. Tum quia ita imponi potuit finis peccato Saulis, ut desineret persequi Davidem. s. h. l. f. 219.

7. Idem, cum suis tamen cautelis, volunt ex nostris Theologis Gerhard. d. Mag. Pol. §. CLVI. f. m. 293. F. Biedenbach. in I. Sam. f. 415. B. Osiander supra laudatus, Part. V. Th. Cas. p. 743. Dn. Cancellarius Jæger, in Observ. in H. Grot. p. 382. & Dn. D. Hochstetter, in Coll. Pufend. p. 435. ex Reformatiis W. Zepper. d. LL. Mos. forens. lib. IV. c. 6. p. 306. & Aimes. d. Consc. lib. V. c. 32. §. 19. p. 353. ex Romanæ Ecclesiæ Dd. Beccanus, T. I. Opp. f. 385. II. f. 81.

8. Ex dictis appareat facile, quid ad contraria respondendum sit argumenta, quæ P. Martyr in Judic. IV. 17. urget, interdicta quibus foedera cum Cananæis excidio quippe devotis inhibebantur, Ex. XXIII. 32. Deut. VII. 2. neminem amplius obligant post sublatum μεσότοχον. Eph. II. 4. Foedera etiam Assæ ac Benhadadi 2. Par. XVI. 9. Ahabi ac Josaphati, 2. Par. XVIII. 3. Deo erant ideo exosa, quod in bello illud offensivo hoc autem minus necessario pangebatur. Quod infideles saepe etiam infidi sunt, & foederatos infelicitant magis quam juvant, id sit, per accidens. Nec enim proborum quoque foedera mutuaque in bellis auxilia temper auspicata sunt, nec semper ipsi Christiani atis fidi. vid. Rivet. in Hof. T. II. f. m. 642.

THE-

## THESIS V.

Magistratui politico religionem armis non quidem propagare tamen tutari licet ac defendere.

Fides in se quidem nullis eget armis vive corporali, subditi tamen ob illius professionem inique pressi a Magistratu suo contra vim illatam sunt defendendi. Nam

1. Magistratus Politicus est bono subditorum, Rom. XIII. 4. quod non de corporibus magis & externis civium bonis quam de animabus intelligendum, quas hæresibus inquinari Deique cultum contaminari, ferre non potest Princeps tabulæ utriusque custos. *v. H. Grot. d. Imp. s. Potest. circa. sacr. c. III. §. 14. p. 36.*

2. Magistratus politicus gladium non gerit frustra, l. c. E. vi vim fidei etiam subditorum illatam repellere necessum habet. *v. D. Rechenberg. Dissert. Hist. II. p. 416.*

3. Antiocho Israelitarum & aras & focos adorto dixit Judas Maccabæus: Nobis pugnandum est pro animabus nostris & pro Legibus nostris l. *Macc. III. 21.* Pater Constantinus M. adversus Maxentium & Licenius adversus Maximinum Religionis Christianæ hostes Ecclesiam defenderunt. *vid. Euseb. H. E. lib. IX. c. 9. & II. f. m. 358. 366.*

4. Augustinus epist. L. ad Bonifacium: *Maximianus Episcopus Vagiensis auxilium petivit ab Imperatore Christiano non tam sui ulciscendi causa quam tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset, non ejus fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda. Neque enim* *&*

*Apostolus Paulus vitæ suæ transitoriæ consulebat, sed Ecclesiæ DEI, quando contra illos, qui eum occidere conspiraverant consilium illorum tribuno ut proderetur effecit. Unde factum est, ut eum ad locum, quo fuerat perducendus duceret miles armatus, ne eorum pateretur insidias: Romanas etiam leges implorare minime dubitavit, civem Romanum se esse proclamans, quos tum affligi verberibus non licebat. Itemque ne Judæis eum interimere cupientibus traderetur, Cæsar is poposcit auxilium, Romani quidem Principis sed non Christiani. Ubi satis ostendit quid facere deberent postea Christi dispensatores, quando Imperatores Christianos periclitante Ecclesia reperirent.* T. II. f. 220. 221.

5. Caus. XXIII. c. 3. *Nostri adversus illicitas & privatas vestrorum violentias (quas & vos ibi, quia talia non facitis, doletis & gemitis) a potestatibus ordinatis tuitionem petunt, non qua vos persequantur, sed qua se defendant.* p. m. 782.

6. Quod de Christo & Apostolis objiciunt Weigeliani, illos non armis, sed Evangelii præconio Christianam condidisse Ecclesiam, suoque doctrinam obsignasse sanguine, id alienum est, cum hic de fide non plantanda nec propaganda sed tutanda, nec de hominibus privatis, quales Christus & Apostoli, sed de publico Magistratu, qui solus gladio armatus est, agatur. Adeo autem cum charitate hoc non pugnat, ut charitatis potius sit fidem sanctis semel traditam conservare & subiectis pignus istud illibatum tueri. v. Croc. Anti-Weig. II. p. 245. & seq.

### THEISIS VI.

Fides præsertim jurata est & hosti servanda.

I. Enim

1. Enim , Nomen sacrosanctum Domini interpositum nunquam est violandum , Lev. XIX. 5.

2. Idem infert & Jus Gentium. Verba enim tesserae sunt humanæque societatis vincula jure etiam gentium ordinata ut per illa communicatio perficiatur , adeoque nequaquam in potestate nostra est per illa fallere. Quinimo mentiri est intrinsece malum. *vid. Dorsch. Th. Mor. p. 350. & B. Zentgrav. d. Jur. Gent. p. 223.*

3. *Hostes qui sunt, homines esse non desinunt. At homines omnes, qui ad rationis usum peruenient capaces sunt juris ex promisso;* inquit H. Grot. Lib. III. c. 19. §. 2. p. m. 838. si enim jus id in dubium vocetur, uti fit ab Illustr. Kulpisio in Coll. Grot. p. 172. vel limitetur , quod multis tentavit Pufend. lib. I. Elem. f. u. c. XII. §. 22. p. m. 159. nec ulla amplius promissis dabitur fides nec ulla amplius pax per pacta & reciproca promissa stabilitur , sed perpetua potius diffidentia , cædes ac bellum perenne , uti annotarunt solerter Ziegler , ac Dn. D. Jæger, p. 680. & 681.

4. Josua fidem Gibeonitis juratam sancte servavit , c. IX. 18. 19. 20. Quod ipsi Deo quam maxime placuit , Israëlitæ alias tam miraculosa victoria non fuisset dignatus , c. X. 13. nec fidem illam a Saule demum ruptam plaga adeo diuturna vindicasset , 2. Sam. XXI. 1. 2. *vid. Ambros. lib. III. d. off. c. 10. T. 1. f. 62. August. Quæst. XIII. in Jos. T. IV. f. 289. B. Ohland. in H. Grot. p. 965. Dedeckenn. Cons. T. II. f. 276. & Rivet. T. I. f. m. 1290. II. f. 165. b.*

5. E contrario Divina Nemesis tristissima in illos invexit mala , qui fidem hostibus datam temerarunt , e. gr. in Hoseam , 2. Reg. XVII. 4. Sedekiam , Ezech. XLII. 19. & Uladislaum Hungariæ Regem , quod illius quoque loquitur Epitaphium :

Romu.

Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi:

Discite mortales, non temerare fidem.

Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus,

Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

6. *Quanta autem justitia sit, ex hoc intelligi potest, quod nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur, quæ etiam hostibus reservatur: ut si constitutus sit cum hoste aut locus aut dies prælio, adversus justitiam putetur, aut loco prævenire aut tempore.* Hæc Ambrosius lib. I. offic. c. 29. T. I. f. m. 18. Nec non Augustinus Epist. CCV. ad Bonifacium: *Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est contra quem bellum geritur.* T. II. f. m. 834.

7. Casus qui in contrarium a Becano T. I. opp. f. 365. 6. fingitur, nullus est, de Principe Ecclesiastico, qui fidem hostibus forte hæreticis a principe seculari factam rescindere possit, nam Christus dicit: *Principes gentium dominantur, vos autem non sic.* Luc. XXII. 25. 26. v. D. Osiand. in H. Grot. p. 1519.

### THEISIS VII.

**Insidias injusto hosti struere ac strategemata fas est.**

Hoc probatur 1. Divino Jussu, nec enim ad mendacium nec ad datæ fidei violationem bellica referri strategemata possunt, hæc alias Deus qui veritatis parens osorque omnis mendacii estatque vindex, nunquam probasset, nedum suggestisset. Jer. LI. 12. Dicit ipse Josuæ VIII. 2. Pone insidias urbi post eam; & Davidi num

num Philistæos adoriri debeat , consilienti respondit :  
Diverte a persequendis eis , postea aggredere eos , post  
terga murorum . 2. Sam. V, 23. vid Schottan. Bibliothec. II.  
f. 378.

2. Exemplorum probatorum censu : Abrahami ho-  
stes adorti insidiis , Gen. XIV. 15. Israelitarum qui , cum  
accepissent & pugnæ mandatum & promissionem vi-  
toriæ , insidias urbi struxerunt Gabaa. Judic. XX. 29. In-  
sidiatorum , quos ipse Deus nutu suo adduxit , 2. Par. XX.  
22. vid. & Dn. Rechenb. Part. II. Dissert. Hist. p. 28. & seq.

3. Ex Jure Gentium : *Dolus an virtus quis in hoste re-  
quirat ?* inquit Virgilius II. Aeneid. v. 390. *Et nullo di-  
scrimine virtutis an doli prospere omnes bellorum laudan-  
tur eventus ; hac Ammianus Marcel. Histor. Lib. XVII.*

4. Strategemata sunt prudentiæ bellicæ specimina lau-  
de non vituperio digna. In urbem potentum ascendit  
Sapiens & dejicit robur fiduciæ ejus , Prov. XXI. 22. Etsi  
arte simul & Marte bella gerenda sunt , potiora tamen  
illa videntur , quæ mente ac ratione quam quæ vi & cor-  
pore efficiuntur. Hinc & præstantius ipse Pericles esse di-  
xit , ingenio hostem & ratione quam ferro vincere. vid.  
Reusneri Thesaurum Bellicum p. 190.

5. Id sæpe dictat etiam necessitas , ut quæ vi aperta non  
possimus , tentemus insidiis , quando nimirum potentiores  
sunt hostes & numero prævalent , juxta illud *πολυθεύλητος : Ubi pellis Leonina non sufficit , vulpina assumenda.*

6. Sæpius per Strategemata victoria ex parte vieti mi-  
nus deploranda , ex parte victoris , minori sumptu ac  
labore parta , ex parte utriusque minus cruenta fuit.  
Hinc Lacedæmonii hostibus per Strategema superatis  
Martibovem sacrificarunt , vi autem deletis , modo gal-

C

lum

lum, cuius hanc ipsam reddit rationem Plutarchus in institutis Laconicis, quod arte rem expedire quandoque præstet, quam vi agere ac aperto Marte.

7. Si feræ, si latrones, fures nocturni & facinorosi qui vis per insidias capiuntur inque vincula magis impune trahuntur quam vi aperta, & iis nihil omeliores hostes iniqui pariter per insidias & Strategemata obrui possunt.  
*vid. Lips. lib. V. Polit. c. 17. §. 13.*

8. Augustinus Quæst. X. in Josu. *Cum justum quis bellum suscepit, utrum aperta pugna utrum insidiis vincat, nihil justitiam interest.* Tom. IV. f. m. 288.

9. Objicitur gratis Christi dictum: Alteri ne feceris, quod tibi factum nolles, Matth. VII. 12. Neminem vero velle insidias sibi strui ac Strategemata; Lex enim illa non de voluntate quavis intelligitur, sed de illa potius, quæ legi, rationi & statui convenienter nolit aut velit hoc vel illud. Alias servò si vellet, inservire oporteret herum. Reliqua quæ opponi solent, contra perfidiam potius ac mendacia militant, quam adversus insidias ac Strategemata. Quod enim dicunt, fraudem dolumque a viro bono abesse debere, quia fidelitati ac veritati repugnant, id nihil contra Strategemata facit. Nam ementita e. gr. vexilla, signa, facta &c. quæ neque ex natura sua neque ex instituto vel certo pacto hanc vel illam sententiam inferunt, non sunt ejusdem naturæ cum sermone, adeoq; rationem mendacii habere nequeunt. v. Ames. C. C. lib. V. c. 33. p. 356.

### THEISIS VIII.

Miles qui Principem in bello manifeste injusto juvat, in conscientia est minime tutus.

I. Quia

1. Quia Dei, cui magis obediendum quam hominibus,  
A&t. V. 29. obstat interdictum: Ne occidas. Ex. XX. 13.

2. Ad nullum malum, nullum turpe, nullum peccatum,  
ulla est obligatio.

3. Si servus non tenetur Domino iniqua moraliter  
imperanti obedire, etiam miles ad illud extremum non  
obligabitur. Conf. I. Sam. XII. 16. Ex. I. 17.

4. Aliter decidunt pleriq;, si miles sit subditus, de bel-  
li in justitia non convictus, illi observandum esse regulam  
vulgatam: *Tene certum, relinque incertum*, sed in rebus  
dubiis tutior *ιδωγγωμασύνη* vox est superiorum. Deut. XVII.

9. 10. Scherz. in Brev. Hulsem. p. 1629.

5. Non tantum locomotiva, sed ipsa *anima* (cum omni-  
bus suis opinionibus mentisque scrupulis, Syr. III. v. 9.)  
Magistratui est subdita, Rom. XIII. 1. vid. Brev. Hul. C. XX.  
§. 14. p. m. 689.

6. Subditi non tenentur examinare causas belli, sed  
tuto pugnare possunt, committentes se defensioni Prin-  
cipis, quia nec fieri potest, nec expedit, ut ratio negotio-  
rum publicorum omnibus de plebe reddatur, nec per-  
fecte obediens disputat, sed paret. vid. B. Osiand, in H-  
Grot. p. 1285. 1287. Lamb. Velthusium, dissert. d. Princip. justi & de  
cori & Ames. C. C. p. 852.

7. Augustinus, contr. Faust. Man. lib. XXII. c. 75. *Ne illud*  
*quidem* (bellum,) *quod humana cupiditate geritur, non solum*  
*incorruptibili Deo, sed nec sanctis ejus obesse aliquid potest, qui-*  
*bus potius ad exercendam patientiam & ad humiliandam ani-*  
*mam ferendamque paternam disciplinam etiam prodeesse in-ve-*  
*nitur &c. cum ergo vir justus, si forte sub rege, homine etiam*  
*sacrilego militet, recte possit illo jubente, bellare civicæ pacis or-*  
*dinem servans, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præ-*  
*ceptum certum est, utrum sit, certum non est, ita ut fortasse*

*reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat iniquitas serviendi.* T. VI. f. m. 433.

8. Luther. d. Militibus, quæstionem: An in statu salutis versentur? ita decidit: *In dubio præferendum est certum mandatum diuinum de parendo, incertæ quæstiōni de objēcto licito, vel illico, id est, in foro conscientiæ præferendum est liquidum illiquidum.* Cum Luthero faciunt Gerhard. L. de Magistr. P. §. 399. f. m. 689. Hülsemann. Breviar. C. XX. θ. XIV. p. m. 689. B. Osiand. in H. Grot. p. 1285. vid. tamen & Bald. CC. p. 881.

9. Idem vult Pufend. d. J. N. lib. VIII. c. I. *Si quis positalicet justitia belli, dubitet num satius sit injuriam reipubl. illatam negligere aut condonare, quam bello exequi; is sciāt nullo modo videri sufficere banc causam, quare ciuis posset imperio ciuili obsequium denegare, ejusque rigorem in se irritare, quia judicat ab eo ad-versus alterum non observari virtutem aliquam cui vis imperfectæ duntaxat obligationis inest.* Adeoque tutissimum fuerit, si ciuis hic simpliciter pareat summum que imperantem super justitia belli Deo rationem reddere permettat. p. m. 1089. Nec aliter sentiunt in H. Grot. Ziegler. p. 513. ac. Illustr. Kulpisius. p. 123.

10. Ne vero dictum Rom. XIV. 23. *Quicquid sine fide fit, peccatum est,* hic objicias, sciendum, quod fides nullibi dictamen conscientiæ notet, E. nec h. loco. Dictamen conscientiæ & omnibus infidelibus est commune, ex quo etiam peccata procedunt. Fides econtra h. l. laudatur, ex qua nullum peccatum, qua qui caret condemnatus est, v. 23. quæ est ἀληθοφοεία, vers. 5. quam habet non nisi frater, vers. 23. DEO ob id gratus, vers. 18. Adeoque fides salvifica in Jesum Christum mortuum & resuscitatum, vers. 9. in quo unice cognoscimus, quæ munda, præcepta, Deoque grata, nec ne v. 14. Ut tacceam

ceam, quod loquatur Apostolus non præcise de actionum a Magistratu præceptorum sive executione sive omissione, sed principaliter de actionibus indifferentibus divinitus nec præceptis nec interdictis, e. gr. comedione carnis, oleris, &c.

## THESES IX.

Causæ Belli justæ præter jam tactas, possunt esse plures, nempe

1. Salus subditorum. Jos. X. 6. 7. 8. vid. H. Grot. d. Jur. B. & P. lib. II. c. 25. §. 1. p. m. 618.

2. Liberatio propinquorum, Gen. XIV. 14. *Qui non repellit injurium a socio, si potest, tam est in vito, quam ille qui facit;* inquit Ambrosius lib. I. offic. c. 36. T. I. f. m. 23.

3. Accepta contumelia. 2. Sam. X. 7. & seq.

4. Illata noxa, Num. XXV. 17. XXXI. 3. vid. L. L. Chemn. Part. II. d. vindicta publica. f. m. 117. & seq.

5. Violentarei alienæ detentio. 1. Sam. XXX. 16. 17.  
2. Sam. III. 1.

6. Pertinax rerum quæ necessariæ sunt gentiumque jure debentur, negatio, e. gr. transitus. Ex. XVII. 8. 13. Deut. XXV. 19. Num. XXI. 23. 24. Judic. XI. 21.

7. Rebellio: 2. Sam. XVIII. 1. XX. 21. 22.

8. Tributariorum defectio. 2. Reg. III. 5. 6. 19. Jer. XXXIX. 5. ad quem locum B. Hüllemann sequentia annotavit: *Typum æquissimi judicis gessit Nebucadnezar, quod Zedekiam in præsentissimo rebellionis flagitio deprehensus judicialiter tamen convincere & condemnare voluit, ad imitationem supremi illius judicis, qui quanquam novisset, Protoplastos nostros lapsos fuisse, primum tamen citavit illos: Adam ubi es? Gen. III. 9. Deinde inquisivit: quis*

*quis indicavit tibi? vers. II. 3. convicit per propriam confessionem, v. 12. denique condemnavit, vers. 14. seqq. Comment. p. 778.*

## THESES X.

Econtrario illa potissimum arma sunt maxime iniqua, quæ

- 1. Temere arripiuntur ac sine justa causa, Ps. XXXV.
- 7. CXIX. 161. tantum ex cupidine prædæ. 2. Par. XXXII.
- 1. vel gloriæ 2. Reg. X. 17. 31. Hos. I. 4.

Vel 2. Vertuntur contra Principem a mere subditis. Potestatibus enim, etiam *χολιοῖς*, qualis illo tempore erat Nero, omnem subjici animam, & Paulus voluit, Rom. XIII. 1. & Petrus 1. Ep. II. 18. Hinc & Tertullianus: *Christianus nullius est hostis nedium Imperatoris; quem sciens a Deo suo constitui necesse est, ut & ipsum diligat & reveratur & honoret & salvum velit cum toto Romano Imperio*; ad Scapul. f. m. 552. quibus illud Bellarmini retundimus: *Non licet Christianis tolerare Regem infidelem vel hereticum, si ille conetur pertrahere subditos ad suam bæresin vel infidelitatem.* Lib. V. d. Pontif. c. 7. f. m. 891.

Vel 3. pœnam civis adhibentur alieni, pœna enim exigitur ab inferiore, bellum inde ejusmodi punitivum Dn. Buddeo merum est figmentum, in Selectis p. 105. Cæterum Bello David Ammonitis non tam inflxit pœnam, quam a se abstersit contumeliam, 2. Sam. X. 7. Benjamitas vero Israelitæ plexerant armis, Judic. XX. 18. sed ut subjetos. Si enim aliqua sit Respublica XII. constans partibus, unam se submittere reliquis procul dubio oportebit, ut taceam mandatum Dei peculiare accessisse. vid. Ostend. in H. Grot. p. 605.

FINIS.

Coll. diss. A. 88, wsc. 71